JOANNES ANTONIUS, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS CURIENSIS, S: R: I: PRINCEPS, DOMINUS IN FÜRSTENBURG, ET FÜRSTENAU &c

Multum Reverendo in Christo Nobis Dilecto Francisco Xav. Josepho de Frewis, parocho in Tosters salutem in domino, ac omne Bonum.

Cum tu, ut Nobis sufficienter constat in Locum adm. Rev^di ac Perill^ris Domini Josephi Nicolai de Seller, Cathedralis Ecclesiae nostrae Curiensis Canonici, ultimi, et immediati praedecessoris, a venerabili Capitulo Drusiano in Civitate Veldkirchensi congregato ultima die elapsi Mensis Maii legitime in decanum electus fueris, Nos tuam aptitudinem agnoscentes dictam Electionem non solum ratam habemus, confirmamus, et approbamus, sed insuper te ab omnibus, quorum interest, pro tali haberi volumus, et mandamus, omnem necessariam, et opportunam facultatem ad exercenda munera officio tuo de jure, vel laudabili Consuetudine annexa tibi impertientes.

Et quandoquidem

Per obitum jam nominati domini Canonici de Seller foraneus ejusdem Capituli Vicariatus vacaverit, Nos vero illius districtus Clero, et populo (: eo quod ob Loci angustiam, et multiplicem arduorum negotiorum Episcopalem forum nostrum in dies magis, magisque occupantium Curam nec Nos, nec officium nostrum ordinarium personaliter ubique Locorum, uti optaremus, interesse valeamus :) de alia persona idonea vicariatus foranei munus cum omnibus ad id pertinentibus subitura providere cupiamus, ideo de egregia fide tua, probitate, scientia, discretione, et circumspectionis Laude, aliisque virtutum meritis in domino plurimum confisi authoritate, qua fungimur, te in praeallegati Capituli per vallem Drusianam Vicarium foraneum cum omnibus honoribus, Emolumentis, praerogativis, et oneribus in forma solitis, ac Consuetis harum tenore constituimus, et deputamus, super sequentibus requisitam potestatem concedentes.

1mo tui districtus sacerdotes regendi, omnesque depravatos mores in personis Ecclesiasticis (: ubi periculum in mora fuerit :) corrigendi, et emendandi. 2do tam contra Clericos, quam Laicos criminum graviorum Reos, aut suspectos (: qui ad forum nostrum pure, vel mixtim pertinuerint :) processus formandi, et Nos, Curiamve nostram super iisdem informandi, eos suadente, et exigente necessitate capiendi, et incarcerandi (invocato, quatenus opus fuerit, Brachio saeculari. 3tio publice delinquentibus (: Nobis praemonitis :) publicam imponendi Poenitentiam. 4to Ecclesiis per obitum, absentiam, aut infirmitatem parochorum aut Beneficiatorum vacantibus, aliisque debitis ministeriis destitutis idoneos vicarios cum honesta Congrua substituendi. 5to Bona sacerdotum defunctorum hereditarie aeque, ac in Ecclesiis, seu Beneficiis suis aquisita, et relicta (: qualiacunque illa sint :) inventandi, testamenta facta examinandi, et exequendi, ac secundum juris praescripta ordinandi, et inter heredes dividendi. 6to a casibus potestati nostrae Episcopali Reservatis (: nono excepto :) absolvendi. 7mo sacram supellectilem, omniaque indumenta Ecclesiastica, et utensilia ad sacrificium Missae necessaria (: in quibus sacra non intervenit unctio :) Benedicendi, Ecclesiasque pollutas, si consecratae non sint, reconciliandi. 8vo Causas Ecclesiasticas, anniversaria, fundationes, aut Legata pia &c audiendi, auditasque ad nos, vel officium nostrum pro decisione transmittendi, matrimoniales vero usque ad sententiam definitivam (: quam Nobis, vel officio nostro Reservamus :) cognoscendi, uti etiam super una de trinis solitis Denuntiationibus a sacra synodo tridentina praescriptis, si gravis subsit necessitas, uti tuam conscientiam deserere oneramus, dispensandi. 9no si unius, vel plurium de venerabili Clero nostro testimonium a judice saeculari peti contigerit, [illegible] servato debito ordine sub fide sacerdotali audiendi, depositionesque eidem judici saeculari, ut opportune in judicio pergere valeat, remittendi. 10mo festivitates, et alia, quae praecipit sancta Mater Ecclesia, observari mandandi, ac tandem omnia ea faciendi, gerendi, et exercendi, quae similes vicarii foranei facere, gerere, et exercere assolent.

quae omnia, et singula hactenus descripta, aliisque si

Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz